UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorvm Vita, Moribvs, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Cap. CXXVIII. Festi Dies Pio Stvdio Et Stvdiosa pietate transigendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

Visual Library

CAP. CXXVIII.

FESTI DIES PIO STVDIO ET STVdioſæ pietate tranſigendi.

§. SOlennes ſacroſque dies præcipuo quodam religionis ſtudio celebrent, & impedimenta vt ſunt epulatio, ſæcularium negociorum tractatio & id genus alia, nauiter ſubmoueant, vt *vacent & videant, quoniam ſuauis eſt Dominus Pſalm.* 45.

§. *S. Auguſtinus ſerm.* 251. *de tempore. Ideò à ſanctis Patribus noſtris conſtitutum eſt, & mandatum, vt in ſolennitatibus Sanctorum & maximè in Dominicis dieb. otium haberent, & à terreno negotio vacarent, vt paratiores & promptiores eſſent ad diuinum cultum, cum non haberent, quod eos inde retardaret incommodum, relinquerentq́; eo tempore terrenam ſolicitudinem, quo facilius Dei poßint intendere voluntatem.*

A terrenis rebus ceſſatio ſit in cœleſtibus occupatio.

§. Atque in primis tunc maximè vacandum à peccatis, à commeſſationibus, ebrietatibus, turpiloquiis, obtrectationibus & id genus aliis. Hinc S. Auguſtin. in Pſalm. 32. conc. 1. *Obſerua*, inquit, *diem Sabbathi, non carnaliter, non Iudaicis delitiis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim vtiq; tota die foderent, quam tota die ſaltarent. Sed tu cogitans requiem in Deo tuo, & propter ipſam requiem omnia faciens abſtine ab opere ſeruili. Omnis enim qui facit peccatum ſeruus eſt peccati* Ioannis 8. verſ. 34.

Die ſacro quibus à rebus ceſſandū & abſtinendum

§. *Conc. Tuburienſ. ſub Arnulpho Imper. can.* 35. *Diebus Dominicis*, inquit, *& Sanctorum feſtis vigiliis & orationibus inſiſtendum, & ad Miſſas cuilibet Chriſtiano cum oblationibus eſt currendum, & tantummodo Deo vacandum. S. Auguſtin. lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 21. *Populus*, inquit, *Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur. Et ſermon.* 47. *de Sanctis, is idem*

Quid feſto die agendū.

Quibus de cauſis Sanctorum feſta inſtituerit Eccleſia.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S.Doctor, *Quotieſcunq;*, ait, *Fratres chariſſimi S. Martyrum ſolēnia celebramus, ita ipſis intercedentib. expectemus à Domino conſequi temporalia beneficia, vt ipſos martyres imitando accipere mereamur æterna. Ab ipſis enim S. martyrum in veritate feſtiuitatum gaudia celebrantur, qui ipſorum martyrum exempla ſequuntur.*

Dieb. feſtis agendæ Deo gratiæ pro beneficiis.

§. Idem S. *Aug. l. 10. de Ciu. Dei c. 4. Deo beneficiorum eius*, ait, *ſolennitatibus feſtis, & diebus ſtatutis dicamus ſacramusq; memoriam, ne volumine temporum ingrata ſubrepat obliuio.*

Sacris dieb. expiandæ peccatorum ſordes.

§. *S. Leo ſerm. 3. de Quadrag. Per diem feſtum omnia*, inquit, *quæ animi puritatem & ſpeculū mentis obnubilant abſtergenda ſedulo, & quadam elimatione radenda ſunt. Scrutetur quiſq; conſcientiam ſuam ſeq; ante ſe ſtatuat proprii cenſura iudicii.* Quo pertinet & illud *S. Greg. l. 11. epiſtolar. ep. 3. ad Romanos ciues. Die Dominico à terreno labore ceſſandum eſt, atq; omnimodo orationib. inſiſtendum, vt ſi quid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis Dominicæ precibus expietur.*

Temperanter dieb. feſtis viuendum.

§. *S. Aug. in Pſ. 88. conc. 2. in fine. Natalitia Sanctorum cum ſobrietate celebrate, vt imitemur eos qui præceſſerunt, & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis, & benedictio Domini in æternum maneat ſuper vos, fiat, fiat.*

Quid ſacris diebus expendendum

§. *Hortatur S. Bern. ſer. in SS. Apoſtolorum Petri & Pauli vigilia, vt in feſtiuitatib. Sanctorum tria vigilanter conſideremus. 1. Auxilium Sancti agnoſcentis & miſerantis noſtras miſerias & orātis pro nobis. 2. Exemplum eius non declinantis ad dexteram neq; ad ſiniſtram, ſed regiam viam tenentis in conuerſatione ſua. 3. Confuſionem noſtram, quod cum fuerit homo paſſibilis ſimilis nobis, ex eodem luto formatus, non faciamus opera, quæ fecit, nec ſequamur veſtigia eius.*

§. Deniq; *dum dieb. feſtis Chriſtiani conueniunt, è conſpectu mutuo & fides creſcit & lætitia maior oritur*, vt habet S. *Iſid. l. 1. de Eccl. off. c. 35.* Et *S. Hier. in c. 4. ad Gal. Ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Chriſto, propterea dies aliqui conſtituti ſunt, vt in vnum omnes pariter veniremus.*

§. Ex his SS. Patrum ſententiis dilucidum eſt, quis

dierum

dierum feſtorum finis fructusq; ſit, nimirum 1. fidei & læticiæ ſpiritalis incrementum. 2. Conſcientiæ emaculatio. 3. bonorum operum excitatio. 4. Memoria beneficiorum Dei, & gratiarum actio. 5. Sanctorum deprecationis pro nobis impetratio. 6. Eorundem imitatio. 7. Et meritorum communicatio.

CAP. CXXIX.

ANTE SOMNVM DISCVTIENda Conſcientia.

§. PRiuſquam nocturnam capiant quietem. 1. Deo gratias pro acceptis beneficiis agant. 2. actæ diei rationes à Conſcientia expoſcant. 3. de contractis noxis vehementer indoleant. 4. vitæ emendationem decernant. 5. precibus ſe Deo commendent.

Examinandæ conſcientiæ compendium.

§. *Quæ dicitis in cordibus veſtris*, ait S. Dauid Pſ. 4. v. 5. *& in cubilibus veſtris compungimini. In quem Pſ. B. Hier. Quod in die peccando cogitatis, nocte expiate per lachrymas.* Et ibid. *D. Aug. Seipſam anima compungat, ne in die iudicii damnata torqueatur. Hoc eod. loco S. Chryſ. Mala quæ cogitaſtis conſilia, ea in cordib. veſtris in tempore illius quietis punite, in ea animaduertite. Et ſi mala caſtiganda ſunt conſilia, multo magis pro factis & dictis oportet angi animo. Hoc fiat ſingulis diebus, nec prius obdormiueris, O homo, quam mente verſaueris; quæ à te interdiu perperam acta ſunt.*

De cogitatis, dictis, factis examinanda conſcientia.

§. Hujus diſcuſſionis & examinationis fructum hom. 43. in Matth. exponit idem S. Chryſ. *Lectum*, ait, *atq; quietem petiturus hoc iudicium ineas. Nec res paruas contemne, ſed magnas etiam earum rationes repete. Hoc modo magna facilius euitabis delicta. Id ſi quotidie diligenter facies, terribili futuri Iudicis tribunali lætus aſſiſtes. Hoc modo Paulus ſeipſum mundauit, ac ideo dicebat 1. Cor. 11. v. 31. Si noſmetipſos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur.* Verum propter eximiam huius piæ exercitationis vtilitatem vberius de illa diſſerendum.

Quotidianus ſui iudex non reformidat Dei iudiciũ